SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM

DE

# PERIOSTEI INFLAMMATIONE,

2.

QUOD,

CONSENSU

FACULTATIS MEDICAE HALENSIS,

PRAESIDE

CURTIO SPRENGEL

FAC. MED. SEN. ET P. T. DEC.,

UT

GRADUM DOCTORIS MEDICINAE

AC CHIRURGIAE

LEGITIME ADIPISCATUR,

DIE XXVII. MARTII CIↃIↃCCCXXIV

H. L. C.

PUBLICE DEFENDET

IO. THEOPH. MEISELBACH

ERFURTENSIS



HALAE

FORMIS FRIDERICI GRUNERTI

VIRO
PERILLUSTRI,
L. B. DE LA ROCHE,
REGI OPTIMO A CONSILIIS RERUM METALLICARUM
SANCTIORIBUS,
FAUTORI SUMME VENERANDO,

GRATISSIMI ANIMI TESSERAM HANC

PIA VOVET MENTE

I. T. MEISELBACH.

# PRAEFATIO.

§. 1.

Ad certiorem ac uberiorem naturae inflammationis cognitionem in genere haud parum ſine dubio confert accuratior et diligentior exploratio formarum variarum inflammationis, quae in variis iisque diverſis non modo partibus, ſed etiam et potiſſimum ſyſtematibus corporis humani occurrunt. Perfecta enim inflammationis, morbi quippe tam multiplicis et varii, notio non niſi e diligenti collatione innumerarum obſervationum morbi ejusdem accurate et circumſpecte inſtitutarum hauriri poteſt. Quare in deligendo argumento, quod ad auſpicandos ſummos in Medicina et Chirurgia honores pertractarem, publicoque eruditorum examini ſubjicerem, non alienum a conſilio praeſenti locoque putavi, thema quoddam eligere, in quo elaborando et vires meas exercere et ad amplificandam inflammationis cognitionem aliquid pro virium modulo conferre poſſe mihi viderer. Inter omnes vero inflammationis formas ac ſpecies, ſyſtematis fibroſi inprimis inflammatio minime cognita eſſe videtur, quippe quae in ſyſte-

mate ſedem ſuam habet, quod profundius latet, ac tam absconditum eſt, ut mutationes ejus morboſae non niſi raro ſenſibus percipi poſſint. Verum cum ſyſtema illud tam late pateat, ut pertractatio inflammationis ejus limites disſertationis inauguralis paene excedere videatur, unam tantum partem, vel ſpeciem ejus ſeligendam duxi, in qua pertractanda operam meam ponerem, nimirum *Perioſteum*. Et quidem eo lubentius, cum de inflammatione membranae iſtius in genere et ſpecie a viris arte peritis pauca tantum eaque modo ſtrictim in medium prolata ſint. *)

Disſeram vero hac de materia ita, ut primum de inflammatione perioſtei in genere, et quidem hoc modo dicam, ut eam, quae a cauſis mechanicis oritur, ab ea, quae a dynamicis proficiſcitur, discernam, illamque prius, hanc poſterius exponam. Deinde de inflammatione perioſtei in ſpecie, ſeu, quod idem eſt, de variis ejus formis in variis perioſtei partibus, nec non de productis et ſequelis pauca addam. Quae ut viri docti artisque periti leniter dijudicent, quam obſervantiſſime oro rogoque.

---

*) C. F. Kaltſchmidt disſ. de morbis perioſtei. Jenae 1759. 4. — C. H. Meding de regeneratione oſſium per experimenta illuſtrata, cum tab. aen. Lipſ. 1824. 4. — Troja de novorum oſſium etc. regeneratione experimenta. Pariſ. 1775. — Köler de regeneratione oſſ. Götting. 1786. 4.

## PARS PRIMA.

# DE INFLAMMATIONE PERIOSTEI IN GENERE.

§. 2.

Duplex est fons, e quo periostei inflammatio originem ducere solet, causarum mechanicarum alter, alter dynamicarum. Quod ea de causa probe distinguere oportet, quoniam non modo decursus, symptomata et producta, verum etiam prognosis et medela utriusque diversa sunt. Hoc enim (quod inter omnes constat) membranae fibrosae in genere, et periosteum in specie singulare habent, quod stimulis mechanicis minus, dynamicis magis afficiantur et turbentur. Videamus igitur primum de traumatica et postea de dynamica periostei inflammatione in genere.

### 1) *De traumatica periostei inflammatione.*

§. 3.

a) *Aetiologia et diagnosis.*

Traumatica seu vulneraria periostei inflammatio a laesionibus mechanicis, vulneribus, contusione, conquassatione et fractura oriri solet. Quae causae licet omnes mechanicae, eo tamen discrimine disjungendae et dijudicandae sunt, quod inter simplicem continui solutionem et contusionem seu quantitativam turbationem intercedere solet. Mitiora enim, quid? quod

tam lenia ſunt ſymptomata ſimplicis perioſtei vulnerationis inſtrumento acuto ſecante factae, ut neque dolor, vel leniſſimus ſaltem, neque tumor, neque rubor, neque aliud ſymptoma, praeter vulnus ipſum, percipiatur. Non ſecus ac in vulnere telae celluloſae partium mollium, inſtrumento acuto facto, cui in eo quoque ſimillima eſt, quod cito et prima quaſi intentione ſanatur, niſi res noxiae accedant. Aliter res ſeſe habet, ſi perioſteum pungendo vulneratur, extendendo ſcinditur, aut contundendo dilaceratur. Tum enim non modo dolor gravior, urens, pungensque eſt, ſed etiam tumor non modo perioſtei, ſed etiam telae cellularis adjacentis oritur. Praeterea in ſecundo ſtadio lympha interdum inſtar gelatinae inter perioſteum et os effunditur, quae poſt aliquod tempus aut rurſus reſorbetur, ita ut ſtatus ſanus reducatur; aut in callum et ſerius in os per materiae commutationem transit, v. c. in fracturis; aut curatione perverſa in pus mutatur, abſceſſus format, oſſis ſuperficiem interdum corrumpit, et aut necroſin aut cariem ſecundariam, aut exoſtoſes, hyperoſtoſes et excreſcentias oſſeas et ulcera chronica ſequelas habet.

### §. 4.

b) *Prognoſis et medela.*

*Prognoſis* inflammationis traumaticae pendet a modo et ratione laeſionis; fauſtior in vul-

neribus ſimplicibus, infauſtior in contuſis et compoſitis et complicatis; a gradu et vehementia laeſionis; a conſtitutione, aetate, corporis valetudine, medendi ratione, et a variis rebus externis. Interdum poſt vehementem contuſionem et perioſtei inflammationem univerſi oſſis necroſis et exfoliatio ſequuntur.

*Medela* inflammationis traumaticae perioſtei in genere ſimpliciſſima eſt, et ab illa, quae inflammationi telae celluloſae in partibus mollibus adhibetur, nequaquam differt. Si mitior eſt, — uti in vulneribus ſimplicibus, — nihil fere adhibendum eſt, ſponte enim ſua ceſſat; cum gravior fuerit, ab initio epithemata frigida ſufficiunt, per aliquot horas continuata, poſtea, in contuſionibus potiſſimum, animantia ſimul eo conſilio adhibenda ſunt, ut paralyſis, concuſſione effecta, tollatur. Conſtat enim, duplicem concuſſionis effectum in partibus organicis eſſe, irritantem aut inflammatoriam alterum, alterum debilitantem ſeu paralyticum. Quare duplex contuſionum curandarum methodus eſſe debet, antiphlogiſtica et animans, (neutiquam roborans aut excitans), remediis nimirum iis, quae nervorum vim augent, ſyſtema vaſorum vero non irritant, v. c. lavationibus liquore ammonii cauſtico cum alcohole diluto factis, etc.

Venaeſectiones et hirudines in inflammatione perioſtei ſimplici nequaquam adhibentur,

nifi per laefionem partium mollium phlogofis univerfalis aut localis vehementior orta fuerit. Verum tum etiam frigus folum, fi ftatim ab initio, uti convenit, adhibetur, fufficit, inflammationique inprimis locali occurrit.

## 2) *De inflammatione periostei a caufis dynamicis in genere.*

### §. 5.

a) *Aetiologia et diagnofis.*

Variae eaeque diverfae dynamicae inflammationis perioftei caufae dantur, quarum primariae et frequentiffimae eae funt, quae e fuppreffa cutis exhalatione oriuntur; praeter eas fe- et excretiones fuppreffae naturales et abnormes v. c. fudores puerperarum, pedum, lochiorum; porro metaftafes, et crifes imperfectae febrium et exanthematum; frequentiffima praeterea caufa fyphilis, potiffimum inveterata, effe videtur; interdum aliae quoque dyscrafiae inflammationis perioftei caufae effe poffunt, v. c. fcrophulofae, carcinomatofae.

Symptomata Perioftitidis dynamicae primi ftadii in genere haec funt: dolor modo urens, modo pungens, modo lancinans, fixus, interdum intermittens, remittens, interdum continuus, modo gravior, modo lenior. Rubor externe haud animadvertendus, affectiones febriles nullae. Tumor ab initio nullus, pro-

grediente vero inflammatione paululum crescens, diffusus, durus, interdum paene ligneus, ad partes vicinas, nequaquam ad remotas transiens. Irritatio inflammatoria tumorem non habet. Tumet vero non modo periosteum, verum etiam et inprimis textus cellularis, qui periosteum circumdat et inter ipsum et cutem interest. Augetur iste tumor interdum brevi tempore — potissimum si ad secundum stadium tendit inflammatio — tantopere, ut deformitatem partium corporis efficiat, v. c. oris in periostitide maxillae inferioris. — In secundo stadio inflammatio periostei ad telam cellulosam adjacentem progressa suppurationem signis notissimis, dolore nimirum pulsante; oedemate, horripilationibus etc. stipatam, non modo inter periosteum et os, sed etiam in exteriori ejus superficie in tela cellulosa efficit, quae brevi tempore periosteum destruit, ossisque nudationem sequelam habet, quae, nisi rite curatur, in necrosin et cariem abire, aut fungorum, excrescentiarum ossearum, exostoseos, hyper- et periostoseos, enostoseos, malaciae, aliarumque mutationum morbosarum ossis, et, cum dispositio carcinomatosa adfuerit, osteosteatomatis et cancri fons et origo fieri potest. Pus uberiori copia secretum partes vicinas, musculos, glandulas aliaque organa destruit aut per laxam telam cellulosam delabens ad partes remotiores tendit ibique in tertio stadio prorumpit.

Non raro autem, ſi naturae viribus medicatricibus committitur, aut juſta medela adhibetur, inflammatio in primo ſtadio ſolvitur et in ſecundo quoque ſtadio interdum lympha inter perioſteum et os, ipſumque pus in tela celluloſa adjacente reſorbetur et ſtatus naturalis reducitur. Hoc interdum tum quoque fieri poteſt, cum oſſis pars perioſteo orbata morboſa pureque exeſa fuit.

§. 6.

b) *Prognoſis et medela.*

Minus fauſta quidem prognoſis inflammationis perioſtei a cauſis dynamicis eſt, quam a cauſis mechanicis, verum nequaquam infauſta; potiſſimum in primo ſtadio. Remota enim cauſa ſaepenumero inflammatio ipſa quoque ceſſat. In ſecundo ſtadio etiam naturae vires interdum ſufficiunt ad ſanandum morbum, ad pus reſorbendum, reſtituendamque naturalem oſſis perioſteique conditionem, inprimis cum cauſa ſublata fuit. Verum haud raro naturae vires et ipſum quoque artis auxilium, licet aptiſſimum, non ſufficiunt ad tollenda mala ex illa inflammatione orta, et funeſtus exitus nonniſi morte chronicam ſuppurationem finire ſolet. Ceterum prognoſis potiſſimum a ſtadio, gradu inflammationis, organis affectis, conſtitutione corporis, aetate et a medendi methodo pendet.

Prima primi ſtadii medendi regula haec eſt:

*Tolle causas, si agere nondum cessarunt.* Qualibet quippe ratione et methodo ipsi conveniente: v. c. luem veneream hydrargyro; refrigerationes, s. rheumaticos et arthriticos stimulos methodo diaphoretica, potissimum emeticis repetitis, antimonialibus cum camphora et opio, revulsivis, vesicantiis, balneis et aliis ejusdem generis. Praeterea se- et excretiones suppressae revocandae, stimuli e metastasi et crisibus irregularibus orti remediis revulsivis et incitantibus eliminandi sunt, etc.

Altera medendi regula est: *Adhibe methodum antiphlogisticam, ut inflammatio extinguatur.* Verum neutiquam qualemcunque, neque v. c. eam, quae frigore aut venaesectionibus utitur, sed eam, quae systemati fibroso convenit; nimirum hydrargyrum cum opio interne et externe in forma mercurii muriatici mitis et unguenti hydrargyri cinerei. Frigus quidem traumaticae, verum non dynamicae inflammationi convenit, quoniam stimuli eliminationem impedire solet: hoc etiam de locali venaesectione, hirudinibus facta, valet, quae inflammationem quidem imminuit, verum non raro incommoda varia, debilitatem, erethismum et tumorem chronicum, tabem localem, et hujus generis alia relinquit. Verum cum inflammatio phlegmonodes simul orta fuerit, sanguinis missio universalis et localis simul cum iis remediis cum successu adhiberi poterit.

Secundi ſtadii prima medendi regula haec eſt: *Aperi exitum puri incidendo quam primum de ejus praeſentia conſtat.* Quod niſi mature fit, perioſteum non modo deſtruitur, verum os quoque ipſum poſtea corrumpitur. Caeterum nota ſunt ſigna, quibus ſuppuratio incipiens purisque collectio cognoſcitur. Verum non ſemper fluctuationis ſignum exſpectandum eſt, ſed progreſſio doloris pulſantis ſufficit, ut puris praeſentiam in loco affecto divinemus. Pure emiſſo vulnus turundis nequaquam apertum ſervandum, ſed naturae committendum eſt, quod ſi clauſum et pus in eo denuo accumulatum fuerit, ſatius erit, nova inciſione id iterum emittere, quam apertum ſervare vulnus.

Altera medendi regula ſecundi ſtadii haec eſt: *Remove producta et ſequelas inflammationis perioſtei.* Quae cum ſint variae ac diverſae naturae, et aut in partibus mollibus, v. c. ſuppuratio, aut in oſſe, v. c. nudatio, necroſis, caries, excreſcentia etc., reperiantur: varia eaque diverſa methodo utendum, qualem leges artis praeſcribunt; verum nimis excederet hujus libelli limites uberior hujus rei expoſitio. Quare ſtatim ad praecipuas perioſtitidis dynamicae formas progredimur. Traumatica, cum non niſi ratione partium, in quibus occurrit, diſtinguatur, ſymptomatibus vero peculiaribus hoc reſpectu haud inſigniatur, ulterioris expoſitionis non indiget.

## PARS ALTERA.

# DE PERIOSTITIDE IN SPECIE.

§. 7.

Univerſum quidem omnium oſſium corporis humani perioſteum inflammari poteſt, verum non niſi certa quaedam organa inprimis ita afficiuntur, ut ſymptomata et decurſus illarum inflammationum notatu digniores ſint. Quare de iis modo, nec non de productis et ſequelis earum in praeſentia ſermo erit. Ad priores inflammationes nimirum pertinent: inflammatio pericranii et aliorum oſſium non niſi cute tectorum, orbitae, ſinuum frontalium, maxillarum et naſi, palati et alveolorum, aurium et maxillarum, ſpinae dorſi et digitorum. De quibus ſingulis breviter videamus neceſſe eſt.

§. 8.

*De inflammatione pericranii, aliorumque oſſium nonniſi cute tectorum.*

Cauſa inflammationis, ſ. irritationis inflammatoriae pericranii, aliorumque oſſium, potiſſimum eorum, quae cute ſolummodo obtecta ſunt, v. c. ſterni, clavicularum, tibiae etc., contagium ſyphiliticum — uti conſtat — eſſe ſolet; nec dubium eſſe poteſt, ſedem doloris iſtius oſteocopi dicti revera perioſteum eſſe, cauſamque ejus irritationem inflammatoriam et interdum veram inflammationem. Etenim et

ſenſus et tactus et tumor et oſſis ipſius mutatio, ſuperficies quippe inaequalis et quaſi undulata nos certiores hac de re faciunt. Aegrotus enim non modo dolorem in perioſteo, verum etiam ad tactum auctum et vehementiorem ſentit. Verum negari non poteſt, ad interiora, medullarem nimirum membranam, inflammationem penetrare et in medio oſſe eadem ſymptomata et producta, oſſis nimirum tumorem, enoſtoſin, uti in ſuperficie hyper - et perioſtoſin, generare.

Interdum lympha et pus effunduntur inter os et perioſteum, os corroditur, et inaequale et quaſi ſerratum diſtincte digitis ſentitur.

De medela hujus inflammationis, quae notiſſima eſt, hic ſermo non erit. Hoc unum addere licet, non localia, ſed univerſalia interna remedia adhibenda, eaque ſemper rite adminiſtrata doſi nimirum quotidie aucta, ad ſanationem perfectam ſufficere.

## §. 9.

### *De inflammatione perioſtei orbitae.*

Inflammatio perioſtei orbitae rariſſima eſt, inprimis acuta, eo frequentior vero irritatio inflammatoria, cujus peculiare ſymptoma praeter dolorem, ſic dictum rheumaticum, eſt epiphora, ſ. lacrymarum effuſio in ophthalmitide et blepharitide rheumatica. Quodſi vero inflammatio orbitae adfuerit, glandula lacrymalis, quae ei intime adhaeret, non

nodo ſympathice irritatur, ſed vere inflammatur, aut ſaltem valde tumeſcit, bulbum oculi antrorſum et verſum naſum protrudit, et interdum graviſſima ſymptomata ophthalmitidis, et exophthalmum ſequelas habet. — Accumulatur in ſecundo hujus inflammationis ſtadio puris copia in ſuperficie perioſtei, inter eam et glandulam lacrymalem, nequaquam in ea ipſa, nec non ſub perioſteo, quod ſuppuratione deſtruitur osque denudatur. Hujus inflammationis glandulae lacrymalis (quo nomine vulgo inſignitur) ſedem non in ipſa glandula, ſed re vera in perioſteo eſſe, non modo e natura et decurſu ejus, ſymptomatibus et exitu, ſed etiam ex analogia cum aliis inflammationibus ejusdem indolis extra dubitationis aleam ponitur. Symptomata primi ſtadii ſunt inflammationis fibroſae rheumaticae, glandula ipſa non niſi ſecundaria affectione corripitur. Dolor ille notus, ſedes puris, deſtructio perioſtei, univerſa morbi facies ipſaeque cauſae probant, non niſi ſympathicam inflammationem glandulae, idiopathicam vero perioſtei eſſe.

Cura in primo ſtadio antirheumatica eſt, in ſecundo puri quam citiſſime exitus inciſione parandus, ceterum methodus ſupra §. 6. laudata adhibenda eſt.

## §. 10.

### *Inflammatio ſinuum frontalium, maxillarum et naſi.*

Mirabitur forſitan quis, me inflammationem cavitatum frontis, maxillae et naſi fibroſis adnumerare et pro perioſtitide habere. Verum diſtinguendum eſt, ni egregie fallor, inter mucoſam et fibroſam harum cavitatum inflammationem. Illa, quae non niſi membranas mucoſas afficit et ſedem primigeniam in iis habet, haud raro occurrit, coryzam ſaepe comitatur et ſymptomatibus notis inflammationis mucoſae, ſeu catarrhalis conſpicua eſt. Ea vero, quae in perioſteo ſedem primigeniam habet, ſympathice quidem membranas ſimul mucoſas afficit et ſimul ſymptomatibus inflammationis mucoſae ſtipatur, verum praeterea non modo graviora et perioſtitidi propria ſymptomata, dolorem peculiarem, majorem tumoris obdurationem, puris accumulationem, corruptionem membranarum, oſſis nudationem, aliaque, quae non niſi fibroſae inflammationi competunt.

## §. 11.

### *Inflammatio perioſtei oſſium palati et proceſſus alveolaris.*

Inflammatio perioſtei oſſium palati et proceſſus alveolaris non raro occurrit, ſaepius adhuc haec, quam illa; cauſam habet fere ſemper rheumaticam, ad quam ſi accedit mechani-

ca, v. c. evulſio dentium dolentium, inflammatio interdum valde augetur, ſequelasque habet ingratas, quid? quod infauſtas, v. c. cariem, excreſcentiam fungoſam, etc.

Perioſtei palati inflammatio tumore potiſſimum dolente duroque cognoſcitur, qui cum aperitur, oſſis ſuperficiem nudatam oſtendit. Eadem ſymptomata alveolorum inflammationem inſigniunt, quae cum ad interius perioſteum alveoli propagatur, dentem paullulum attollit, ita ut longior eſſe videatur. Quodſi haec inflammatio chronica ſit, luxuriat perioſteum internum, caro fungoſa oritur, densque ſenſim ſenſimque protruditur.

Hanc inflammationem revera in perioſteo ſedem ſuam habere, ſymptomata et ſequelae aperte oſtendunt, nec argumentis aliis opus eſt. In alveolis ſaepiſſime nonniſi irritatio inflammatoria adeſt, v. c. in Odontalgia.

### §. 12.

### *De inflammatione perioſtei meatus auditorii, (Otitide, Otalgia).*

Perioſteum revera in Otitide ſaepe inflammari, ſymptomata et ſequelae ejus oſtendunt. Dolor enim non is eſt, qui in ſimplici telae celluloſae inflammatione obſervatur, ſed pungens, lancinans, vellicans, ſaepe quam maxime acerbus, tumor magnus, et ſi in ſuppurationem tranſit, os denudatum deprehenditur in abſceſ-

ſu. Quod niſi juſta medela adhibeatur, mox emoritur, et conditio ea, quae necroſis nominatur, inſequitur. Caeterum perinde eſt, utrum ſedes inflammationis in meatu externo, (quod frequentiſſime accidit), an in interiori haereat. Interdum non vera inflammatio, ſed irritatio inflammatoria ſolum adeſt, quae dolores quidem creat, verum haudquaquam ſuppurationem.

Cura eſt ea, quae ſupra §. 6. indicata fuit. Annitendum ſemper eſt remediis internis et externis, ut inflammatio discutiatur. Suppuratio nunquam adjuvanda nec remediis humidis calidis promovenda eſt, e contrario, quam primum dolor pulſans puris ſecretionem indicavit, inciſione, ſi in externo, trepanatione, ſi in interno eſt, emittendus.

## §. 13.

### *De inflammatione perioſtei maxillarum, (Parotitide ſpuria).*

Sedes inflammationis in parotitide ſpuria, (quae vernacula lingua in nonnullis regionibus Bauerwetzel, Ziegenpeter, Anglis Mumps dicitur), vulgo in glandulis colli aut ſalivalibus ponitur; verum hoc non ita ſe habere, — licet glandulae ſympathice interdum afficiantur, — e diligentiori ſymptomatum examine patebit. Non negamus quidem, glandulas interdum idiopathica inflammatione corripi, ſcrophuloſa nimirum dyscraſia, ſed iſta inflammatio aliis ſym-

ptomatibus fefe exhibet, neque parotidum nomine infignitur. Glandularum enim inflammatio tumorem circumfcriptum, non admodum durum, mobilem, parum dolentem habet; mobilitatem maxillae inferioris non tollit, et periofteum, osque ipfum nunquam corrumpit; praeterea, uti dictum eft, caufam habet fcrophulofam dyscrafiam, et vulgo in juvenibus obfervatur. Inflammatio vero, quae nomine parotidum infignitur, in hominibus adultis potiffimum obfervatur, et e caufis rheumaticis, fuppreffa cutis exhalatione, a refrigeratione ortum ducit, et fymptomatibus fequentibus confpicua eft.

In *primo ftadio* repente, poft refrigerationem dolor, magis vel minus gravis, pungens, urens, lancinans in maxilla inferiori aut fuperiori fimul oritur, quem mox fequitur tumor magnus aequalis, haud rubens, durus, ut ligneus quafi videatur, ad collum defcendens, eumque interdum volumine ad aequam cum genis fuperficiem augens, nec non ad alteram maxillam haud raro progrediens. Mox vaginae quoque musculorum, qui in periofteum maxillarum inferuntur, v. c. mafleteris, temporalis etc., corripiuntur et mobilitas maxillae inferioris prorfus aboletur. Secundaria affectione glandulae colli afficiuntur. Interdum extemplo disparet et ad mammas aut fcrotum migrat. Irritatio inflammatoria fola tumorem non ciere folet; fi perverfe curatur, naturam chronicam induit.

In *secundo stadio* potissimum, si epithematibus humidis calidis obtegitur, accumulatio puris inter periosteum, os et in externa periostei superficie in tela cellulosa oritur, periosteum destruitur, nudatio ossis, necrosis et caries secundaria oriuntur, maximi abscessus formantur, et excrescentia fungosa et e partibus mollibus et interdum ex osse ipso propullulat. Interdum induratio aut gangraena sequuntur.

Hanc inflammationem vere in periosteo sedem suam habere, patet primum e symptomatibus, quae sunt signa fibrosae, nequaquam glandulosae inflammationis, v. c. dolor peculiaris; e decursu, qui, nisi arte turbatur, non tam lentus est, quam glandularum inflammatio; affectione vaginarum fibrosarum musculorum, quae arcte cum periosteo cohaerent; e sequelis, quae sunt periostei abolitio, ossis corruptio, aliaeque anomaliae modo laudatae ex inflammatione periostei oriundae; tandem e medendi ratione, quae nulla alia est, quam ea, quae in rheumaticis periostei inflammationibus aliorum organorum proposita fuit, qua in primo stadio mox et sine ulla difficultate sanari potest.

Suppuratio nunquam adjuvanda, neque sanguinis missio localis facienda est. Calor siccus et, si pertinacior fuerit, emplastra narcotica et frictiones cum unguento hydrargyri cinereo et opio in usum vocari possunt, (cf. §. 6.).

### §. 14.
### *De inflammatione periostei columnae vertebralis et offis facri.*

Sedes inflammationis, f. irritationis inflammatoriae periostei columnae vertebralis aut in posteriori ejus parte, (quod interdum in Rhachitide et Rhachialgia — Rücken- und Kreuzschmerz — fieri folet), aut in anteriore parte, quae ad inteftina vergit, effe poteft. Utrumque facile e fymptomatibus, locoque, quo dolor fentitur, cognofci poteft. De priori cum fatis conftet, hic nonnifi de inflammatione anterioris partis, nominatim ea, quae vulgo Pfoitis f. abfceffus lumbalis dicitur, et pro inflammatione musculi pfoae habetur, fermo erit.

Hanc vero inflammationem nequaquam in musculo pfoa, fed in periofteo columnae vertebralis fedem fuam primigeniam habere, cognofcitur:

1) E fymptomatibus; dolor enim in regione lumbali modo lenior, modo acerbior naturam rheumaticae f. fibrofae inflammationis habet et interdum ad fuperas et inferiores partes progreditur. Attractio pedis dolorem auget, inprimis fi repentina eft, quia periofteum premit, haudquaquam vero extenfio, faltem non in primo morbi ftadio. Interdum tamen, fi inflammatio vehementior eft, breviori tempore musculi vaginam et ipfum musculum fecundaria affectione corripit, dolo-

resque non minus per extenſionem quam per contractionem musculi oriuntur. In ſecunda ſtadio puris ſedes primigenia inter musculum et columnam vertebralem reperitur; periosteum ſaepenumero corruptum et abolitum eſt, os necroſi aut carie laborat, musculus vero non raro integer prorſus aut ſaltem paullum inflammatus invenitur.

2) E cauſis porro natura inflammationis non minus intelligitur, quae fere ſemper rheumatica eſt, et potius in perioſteo, quam in musculo ſedem ſuam habet. Etenim quum a partibus exterioribus, cute nimirum, ſtimulus oriatur et ad interiora penetret, non poteſt non in perioſteo prius haerere, quam ad musculum ipſum perveniat, qui magis adhuc verſus interiora ſitus eſt, quam perioſteum. Denique

3) ex analogia concludere licet, quae docet, musculos quidem rheumaticis ſtimulis irritari, nunquam vero ita inflammari, ut ſuppuratione deſtruantur. Quotidiana vero experientia docet, hoc in perioſteo ſaepiſſime fieri.

Ceterum non negamus, musculorum vaginas et musculum ipſum interdum ſecundarie et ſympathice ab inflammatione adjacentis perioſtei ſimul corripi, corrumpi et ſuppuratione aboleri, quae ad iliacum internum interdum penetrat et ſub ligamento Poupartii aut in aliis locis prorumpit.

Medela optima eſt antirheumatica: interne emeticis et diaphoreticis, externe revulſivis, veſicantiis repetitis, frictionibus animantibus, balneisque calidis ſtimulus inflammatorius exterminandus; ceterum puri, ſimulac de ejus praeſentia conſtat, inciſione, rurſus ſtatim claudenda, exitus parandus et naturae viribus, arte ſustentandis, ſanatio committenda eſt.

§. 15.

*De inflammatione perioſtei digitorum.*

Liceat, de hac inflammationis forma, licet notiſſima, in ſpecie quaedam addere, quia maxime eſt frequens, et non raro minus apte curatur. Nota eſt haec inflammatio ſub nomine panaritii tertiae ſ. quartae claſſis, et ea ſymptomata habet, quae perioſtei inflammationi peculiaria et propria ſunt: dolorem pungentem urentemque in imo digito, tumorem magnum, durum haud rubentem, ad partes vicinas interdum progredientem, et ſuppurationem dolore pulſante indicatam non modo ſub perioſteo, ſed etiam in ſuperficie ejus in tela celluloſa obviam. Quae quum ſit orta a variis cauſis mechanicis et dynamicis, ita curanda eſt, ut, ſi fieri poteſt, ſolvatur epithematibus frigidis, unguento hydrargyri etc., ſuppuratio nunquam adjuvetur, ſed pus, ſi dolore pulſante de ejus formatione conſtat, inciſione cito emittatur.

Si os ipſum laeſum nudatum aut necroſi corruptum eſt, injectiones aut alia remedia excitantia neutiquam adhibeantur, ſed naturae committatur, et non niſi externa, ſi convenit, remedia adhibeantur, calor, balnea, frictiones animantes etc.

Verum haec ſufficiant, de perioſtei inflammatione pro viribus expoſuiſſe. Reſtat, ut de productis et ſequelis ejus pauca quaedam addamus.

§. 16.

*De productis et ſequelis inflammationis perioſtei.*

Arcti hujus libelli limites nequaquam permittunt, ut omnes morboſas mutationes, quae inflammatione perioſtei gignuntur, pertractemus, quippe quae numeroſae ſatis et magni momenti ſunt. Quare in praeſentia ſufficiat, eas recenſuiſſe, in claſſes distribuiſſe, et, ubi res poſtulat, brevibus oſtendiſſe, re vera eſſe hujus inflammationis ſequelas. Mutationes morboſae, quarum fons inflammatio perioſtei eſt, in tres claſſes diſpeſci poſſunt, quippe ſive in ipſo perioſteo, ſive inter perioſteum et os, ſive denique in oſſe locum habent. De ſingulis pauca.

## §. 17.
### *De iis morbofis fequelis, quae in ipfo periofteo locum habent.*

In ipfo periofteo reperiuntur fequentes:

1) *Induratio*, f. tumor chronicus, qui vel fequela inflammationis acutae non rite disfolutae, vel inflammationis chronicae, vel irritationis inflammatoriae continuae effe poteft, et ab offis ipfius aut telae cellulofae adjacentis tumore probe diftinguendus eft, e fymptomatibus praegreffae inflammationis ejusque decurfu cognofcitur et methodo discutiente curatur.

2) *Suppuratio* et *deftructio perioftei*, de qua in antecedentibus fermo faepius fuit.

3) *Excrefcentia, fungi, farcomata, epulis.* Hae fequelae e variis fymptomatibus cognofcuntur, et potiffimum remotione caufae, v. c. contagii fyphilitici, aut cultro fanantur. Ea re vera in periofteo fedem fuam habere, accuratum docet examen.

## §. 18.
### *De iis fequelis, quae potiffimum inter periofteum et os fedem fuam habent.*

Sub periofteo aut inter hoc et os locum habent:

1) *Exfudationes lymphaticae* et *gelatinofae*, quae formando callo inferviunt, potiffimum

poſt mechanicas perioſtei et oſſis laeſiones, vulnera, fracturas, contuſiones etc. De his in ſuperioribus ſermo fuit.

2) *Gummata* ſunt accumulationes materiae gummoſae aut purulentae inter os et perioſteum, tumore circumſcripto, dolente, non admodum duro, ſaepiſſime non rubente; interdum os ipſum excavante et inaequali ſerratoque margine ejus tactu diſtinguendo inſignitur. Cauſa fere ſemper ſyphilis eſt, methodusque medendi antiſyphilitica univerſalis. Locali medela omnino abſtinendum eſt.

3) *Nodi* et *tophi* ſunt accumulationes terrae calcareae phosphoricae inorganicae inter perioſteum et os, tumore admodum duro, parum circumſcripto, non rubente, externe conſpicuae, e cauſis arthriticis et ſyphiliticis ortae, et methodo conveniente ſanandae.

§. 19.

*De iis ſequelis, quae in oſſibus conſpiciuntur.*

Duplex eſt ratio harum affectionum, nimirum aut integro aut deleto perioſteo in oſſe oriuntur.

a) *Deleto* et *everſo* per ſuppurationem *perioſteo* oriuntur ſequentes:

1) *Nudatio oſſis*, quae eſt ea oſſis conditio, qua ceterum bene valet, et non niſi perioſteo deſtitutum eſt. Difficillime et non niſi

temporis mora a necrofi diftingui poteft. Natura fola eam fanat, ars nil nifi ab injuria externa defendere poteft. Si nimis diu, ultra novem ad viginti dies perduraverit, aut aëre tacta, medicaminibus irritantibus curata fuerit, in necrofin abit.

2) *Necrofis* vel partialis, vel univerfalis offis, fequela inflammationis et feparationis perioftei ab offe tum potiffimum effe folet, cum ea, quae numero antecedente indicata funt, in os egerunt, aut inflammatio periostei univerfalis adfuit. Necrofin vero fequelam inflammationis effe, cum nemo fit, qui dubitet, probatione fuperfedere poffum. Curam ejus exponere, hujus disfertationis limites excederet.

3) Caries, quam fecundariam dicimus, i. e. ea offis per fuppurationem disfolutio, quae non primigenia interna inflammatione offis, fed ex inflammatione et fuppuratione partium mollium circa os et perioftei ipfius ad ipfum os progrediente, et fecundaria affectione id corripiente et corrumpente, oritur, fequela inflammationis ea de caufa jure dici poteft, quoniam non nifi tum locum habere poteft, quum periofteum inflammatione demtum eft. Interdum etiam ex alia caufa oritur, v. c. e jactura perioftei per laefionem. Diftinguenda eft haec caries a carie primitiva ex interna offis inflammatione et fuppuratione originem ducente, et a necrofi partiali, cum qua vulgo confundi folet. Cura medica huc non pertinet.

b) Periofteo integro, faltem in plurimis cafibus aut ad tempus:

1) *Exoftofis*, *Hyperoftofis*, *Perioftofis* et *Enoftofis*. Hae formae offis mutationum non natura, fed figura externa modo, aut loco, quo reperiuntur, differunt, et tam notae funt, ut uberiori defcriptione et expofitione fuperfedere poffe facile mihi videar. Eas vero fequelas inflammationis perioftei externi et interni effe conftat.

2) *Rhachitis*, *Ofteomalacia* et *fragilitas offium* e perverfa nutritione offis originem ducunt. Hanc vero non raro e turbata perioftei functione per ftimulos inflammatorios chronicos oriri, a nullo negabitur, qui attento oculo fymptomata eorum morborum fectionesque cadaverum fcrutatus eft. Dolor enim tumorque externe animadvertendus ruborque perioftei in abfceffibus viventium aut fectionibus cadaverum etc. hoc fatis probant.

3) *Ofteofarcofis* denique feu *Ofteofteatoma* interdum ex hac inflammatione originem ducere, praevia difpofitione carcinomatofa, e fymptomatibus aeque ac e fectionibus cadaverum patet. Malum enim hocce, quod jure cancer offis nominatur, fecundum experientiam recentiffimorum temporum primum originem a perioftéo ducit. Sed haec indigitaffe fufficiat.

## THESES.

I.

Vena azygos magni eſt momenti tum in cauſſis affectuum cordis exponendis, tum in praeſidiis naturae artisque adhibendis.

II.

Homoeopathica doctrina ut naturae omnino et rationi graviter repugnat, ita methodus, ſi receſſeris a ſingulari victus ratione, plane rejicienda.

III.

Calvitiei et varicum viciſſitudines ab Hippocrate obſervatae (*aph.* 6, 34.), optime e leprae hiſtoria exponuntur.

IV.

Experimenta Bellii ad detegendos nervos, quibus faciei musculi reguntur, parvi facienda mihi eſſe videntur.

V.

Ut reponatur membrum recens luxatum, inſtrumenta neceſſaria fere non ſunt.

VI.

Scarlatinae eruptionem neutiquam ſupprimendam eſſe contendo.

VII.

Ad plurimos morbos diuturnos aquoſa accedit colluvies.

VIII.

Polypi cordis veri nullam fere certam admittunt diagnoſin.

# VITA.

Ego Joannes Theophilus Meiſelbach natus ſum Erfurti die XVIII. menſis Octobris anni MDCCXCVIII patre Friderico Chriſtophoro Meiſelbach, chirurgo, et matre e gente Frankiana. Patre, proh dolor! nimis matura morte jam anno MDCCCXIII erepto, in ſchola Erfurtenſi, quae Directore gaviſa eſt doctiſſimo Schlückeisen, tam iis imbutus ſum, quae ad principia litterarum, quam linguarum pertinent. Nec non privatim linguarum notitiam me docuit clariſſimus Sacher. Anno MDCCCXIV demuo bello contra Gallos incenſo ſponte mea munus chirurgi militaris in legione XXII. pedeſtri ſuscepi, quo quidem munere etiam in patriam redux Vratislaviae functus ſum usque ad annum MDCCCXX. Vratislaviae tum degens hisce clariſſimorum virorum lectionibus interfui: Hagenii Anatomiam, Ottonis Anatomiam univerſalem tam normalem quam abnormem, Steffensii phyſicen experimentalem et Anthropologiam, André Phyſiologiam et artem obſtetriciam, Wendtii Pathologiam, Materiam medicam et Medicinam forenſem, Hankii Chirurgiam, artem faſcias applicandi et doctrinam de Operationibus tradentium. Praeterea interfui Experimentis phyſicis Steffensii: artem cadavera disſecandi Brehm me docuit, neque defui exercitationibus clinicis medico-chirurgicis Hankii. Jam Berolinum me contuli, ut in Inſtituto regio medico-chirurgico perfectiorem rerum ad medicinam pariter ac chirurgiam ſpectantium ſcientiam adipiſcerer. Per unum annum et quod excurrit dimidium hasce celeberrimorum virorum lectiones frequentavi: anatomicas Rudolphii et Knapii, phyſiologicas Rudolphii et Koreffii, pathologicas Hufelandii, pharmaceuticas et chemicas Turtii, pharmacologicas Osannii, chirurgicas Gräfii; artem faſcias ligandi Kluge, artem operationes inſtituendi Rust et Gräfe, artem obſtetriciam Kluge et Therapiam Hufeland, medicinam demum forenſem Knape me docuerunt. Non defui exercitationibus clinicis Rustii et Gräfii aeque ac clinicis medicis Neumann. Inde chirurgi munere militaris functus ſum in centuria quarta legionis equitum haſtatorum ſecundae. Vergente in finem anno MDCCCXXIII Berolinum profectus abſolvi examen anatomicum, chirurgicum et clinico-chirurgicum publice habendum.